TENTAMEN MEDICUM

DE DIATHESI PUTRIDA,

QUOD, in augustissimo Ludoviceo medico Monspeliensi, argumentantibus Professoribus illustrissimis, tueri conabitur,

JOANNES - FRANCISCUS BURELLE, Molinæus, è partitione Elaveris, Liberalium artium magister, & Universitatis medicæ Monspeliensis jamdudùm Alumnus.

Pro baccalaureatûs gradu consequendo.



MONSPELII,
Apud J. F. TOURNEL & J. G. TOURNEL, Universitatis Typographos & Bibliopolas.



A LA MEILLEURE

DES

MÈRES.



J. F. BURELLE.



TENTAMEN

MEDICUM

DE DIATHESI PUTRIDA.



TEMPORUM in valetudinem influxus ab omni ævo annotatus fuit. *Hippocrates* & illius celeberrimi ſucceſſores *Ballonius*, *Sydenhamius*, *Grantius*, &c. tanquam fontem morborum ordinis cujuſdam varias aëris mutationes habuerunt, contenderuntque etiam omnes ferè internos affectus, tempeſtati in quâ exſtant aliquid debere. Iſta opinio quam veram demonſtravit experientia, ſtabilitur in eo quod corporis humores varias patiantur degenerationes quæ conſtanter unicuique tempeſtati adfixæ videntur, oriuntur indè totidem conſtitutiones

præcipuæ inter quas medii ſunt adhuc ſtatus qui plùs minùſve ad hanc vèl illam vergunt.

Illarum diatheſium cum temporibus relationem & ipſarum interſeſe connexionem ſequi me juvaret, ſed tantum opus, nec vires, nec breve ſtudiorum tempus permittunt; ſatis ſiat unam tantùm ex illis expendere: de putridâ diatheſi agam.

Conſtitutioni cuidam febris putridæ nomen aſſignatum à veteribus fuit tribus ex præcipuis phœnomenis. 1°. In hâc febre fœtidus ineſt odor omnibus excrementis, ſudori ſcilicet, urinæ, halitui, &c. 2°. Extinctis vix ægris confertim corrumpuntur cadavera, unde huncce humorum ſtatum maximè ad putrefactionem tendere intulerunt. 3°. Sanguis frigefactus, carnis putreſcentis modo, viridente membranâ obtegitur. Hoc autem ſcimus effectum eſſe non verò cauſam febris.

In morbis igitur, putridi nominis ſignificatio differt ad acceptione vulgari, in eo quod tunc illa putriditas oriatur ex morbificâ humorum diſpoſitione variis cauſis productâ; ſed quamquam ille ſtatus non ſit jam verè putris, attamen interdùm putredinis adeò affinis eſt, ut affinior cum vitâ exiſtere non poſſet. Omnium obſervatorum teſtimonio, conſtat hanc-ce

diſpoſitionem in julio & auguſto menſe fræquentiorem eſſe præſertim ſi vigeat tempus humidum ſimul & calidum. In omni tamen tempeſtate febrem putridam invadere poſſe fateor, ſed tunc aliæ adſtant cauſæ extraneæ, ſcilicet putredo ſcorbutica, canceroſa, venerea, venenoſa, &c. Hìc verò ſolùm loquendi animus eſt de febre conſtitutionis epidemicæ, quæ, nullâ, præter tempus, apparente causâ, regulariter quotannis reducitur.

Si fidem adhibeamus ſententiæ *Sydenhami*, *Pringlii*, *Grantii*, proxima hujus febris cauſa eſt quædam ſanguinis diſſolutio & ſolidorum laxitas quæ functiones perfectè adimpleri non ſinit; excrementaque non expulſa, collectioni ſymptomatum quæ hunc morbum conſtituit, originem præbent. Iſta verò ſanguinis diſſolutio oritur tempore calido & humido, ſecretionum & excretionum ſolitarum ceſſatione, aere ſtagnanti & contaminato putridis exhalationibus, ſive paludibus, ſive halitu animantium catervatim congregatorum. His omnibus præcipuè infeſtantur incommodis illi qui in navibus, noſocomiis, caſtris, carceribus, &c. diù remanent. Eumdem etiàm ferè producunt effectum ſubſtantiæ ſubdictæ : mercurius ſcilicet, ut patet fæditate ſudoris & halitûs, colore urinæ

quæ febrium putridarum urinæ, turbatione ſimilis eſt; jalap, aloës, venena animalia in ſanguinem morſu illata, inſectorum corruptio, morbifica quarumdàm peſtilentium febrium miaſmata, quæ à celeberrimis auctoribus fuerunt obſervata.

Hujus conſtitutionis talis qualis omnibus redit æſtatibus, ut naturam explicemus, ad diviſionem requirendum eſt. Primùm, ut ſupra diximus, ineunte julio, omnibus aut ferè ineſt ſanguinis quidam diſſolutionis gradus, qui magnam auguſti partem occupat, id eſt uſque ad choleræ morbi acceſſum, juxtà *Grantium.* Si nihil huic diſſolutioni adjungitur, paulatim temporis mutatione corrigetur; renovabitur textura quam amiſerant humores nullusque verè formatus apparebit morbus; contra verò ſi caſu quodam, per tempus illud aliquem febris invadit, cum iſtâ diſſolutione complicabitur, & ſemper putridarum in genere adnumerari debebit, niſi vigore & ſanitate mirabili donetur æger.

His poſitis, vera diatheſis putrida pluribus cum affectionibus epidemicè poteſt complicari. Si ſola eſt, evaneſcente causâ originali, ipſa evaneſcet; ſi verò complicatur affectio epidemica ſemper prima aggredienda eſt, & poſt-

hàc ſporadica in naturali ſtatu reſtituta convenienti modo tractabitur.

Inter ſigna quibus dignoſcitur febris putrida, tanquàm pathognomonicum habendus eſt dolor ferè intolerabilis in parte inferiori cartilaginis xiphoïdis. Concomitantia alia ſunt pondus in præcordiis cum vagis lumborum & dorſi doloribus, pulſus non durus ſed celer, cephalalgia, vultus rubor, lingua in medio alba, interdùm ſordida, raró ſicca, ſudores ſpontanei ſæpiſſimè ſymptomatici nullum afferentes levamen, magna virium proſtratio, alvus intenſa, urinæ flavæ cinereæ, deponentes ſedimentum obſoletè rubrum, cutis ſicca, petechiis rubris, flavis obducta, interdùm aphtæ, parotides, &c.

Varia erit methodus medendi pro gradu & vehementiâ morbi, variis circumſtantiis, ætate, ſindromeque virium. Colluviem putridam, ſinon turgeat, mobilem efficiet medicus, lenibus refrigerantibus & reſolventibus, tamarindorum decocto, tartari cremore, ſero lactis tamarindato, hordei ptiſanis, oxymelle, orizæ cremoribus, ptiſanâ ex citris, &c. Mobilem factam & turgentem vomitorio ſi ſuprà, purgante autem ſi infrà, expellet.

Solventibus ità præmiſſis, ut diximus, emeticum propinaviſſe nunquàm medicum pœnite-

bit. Simplicem efficiet morbum, ſi quaſi manu cauſam omnem materialem non arcet. Vomitorium ex ipecacuanhâ quæſitum, non tàm miros producit effectus, ſive mitiùs agat, ſive ex aliâ quâcumque causâ, ſed mixta radix cum tartaro ſtibiato utiliter adhiberi poteſt. (*Pring.*)

Venæ ſectioni difficile indulgendum erit, ſanguinem frenum bilis eſſe arbitrabantur veteres; & neotericorum, quantùm in putridis fuerit exitioſa hæc medicina, multæ teſtantur obſervationes; attamen ſæpé adeſt inflammatoria quædam conditio aut ſpaſmodica quæ vana medici tentamina reddere valeret. Tunc, opinor, dummodò parcâ manu fiat, ſanguis utiliter mitti poteſt. Neſcio quidem an evacuationes non multum juvaret & an ſæpè purgationes præcedere non deberet, & in hoc auctorem habeo *Sydenhamum*, qui ſic in epiſt. ad D. *Brady*, loquitur: « Verùm in morbis » epidemicis cujuſcumque generis ſint (ſi modo » recens adhùc ægrum corripuerint) ſummo- » perè cavendum ne alvus ei ducatur, niſi » miſſo priùs ſanguine; hoc conſtanter aſſero » quantumlibet mos jam obtineat exhibendi » cathartica antè celebratam venæ ſectionem, » vel quod eſt periculoſius, eâ penitùs omiſſâ.» *Vid. ſeq. loc. cit.*

Ballonius, *in lib.* 1 *ephem.*, huic consilio assentit : « An neotericorum, inquit, standum » opinioni qui in febribus quas humor putres» cens accendit à venæ sectione temperant, » quod in mesenterio humores concluduntur. » Contrà stat experientia, nam statim à sec» tione, morborum levatio. » Idem jubet *Pringlius* in capite ubi de curatu morborum castris & paludosis locis affectorum tractat.

Sudores ante coctionem semper inopportuni sunt, & nedùm excitentur, ut contenderunt quidam auctores, cùm tantis per copiosiores evadunt, mineralibus quidem acidis moderandi sunt.

Ferè inutile dictu quàm accuratè removendæ sint causæ, excitandæ aut sustentandæ febri pares, quàm æger reponendus sit in loco elato, conclavi magno, stragulis mundis, aëre sicco & sæpè renovato ; quàm frequenter è lecto eximendus, per cubiculum ambulaturus, ne tepore lecti putredo foveatur & languescant excretiones maximè urinarum, quàm liberiùs debeat indulgere fructibus horreis, acidiusculis, cerasis, ribiis & tandèm omnibus frugibus (dummodò sint maturi) eminenter æstum febrilem compescere, & putriditatem arcere adeò valentibus, ut quasi sapones dissolventes

& corrigentes morbificam materiem habendi ſint; quàm accuratè cibos omnes ex animali regno ſumptos vitare debet; maximè tandem quàm potus omnes frigidi ſint præbendi.

Opiata, alexipharmaca, antè ſigna coctionis intempeſtivè dantur noxiique quidem ſæpè fuerunt priuſquàm cadat pulſus. Cortex ipſe peruvianus utilis eſſe in hoc caſu poteſt, cùm præmiſſis coctionis criſiſque ſignis, pulſus profundus fieri videtur & lingua madeſcere.

Hæc ſufficient opportunè adhibita, ſed ſi quâvis de causâ in pejus omnia ruant & debacchetur furens morbus teterrimis cum ſymptomatibus, ad heroïca extemplò remedia, oblitâ pro circumſtantiâ coctionis animadverſione, ad omnia ruinæ virium, humorum degenerationi, ſolidorum debilitati accommodata, tamquàm ad anchoram confugiendum eſt. At hæc non indiſcriminatim, ſed cautiſſimè ſeligenda & opportuniſſimè ſunt adhibenda.

Palmam præripiet kina, ubi viribus proſtratis, ſolidis laxis, languenti vitali principio proſpiciendum erit. Camphora, ſerpentaria, præcipuè vinum generoſum, calorem innatum in foco coercebunt ubi fatiſcentem indicant pulſus tenues, celerrimi, artus frigidi, &c.

Acida mineralia maximâ ſtipticitate donata ; ſanguinem diſſolutum quovis emunctorio profluentem compeſcent ; efflorefcentiæ, petechiæ evaneſcent. Inter illa præpollet acidum ſulphuricum ; ni quod, viribus penitùs exhauſtis, torporem adaugeat, timendum ſit ; tùm certè veſicantia, ſinapiſmi perutiles eſſe poterunt.

Similis eſt noſtræ, aut parùm abeſt, methodus quâ utebatur *Hippocrates* in affectionibus putridis, de unâ typhi ſpecie quæ nihil aliud eſt, me judice, quam noſtra febris, ſic loquitur : « Typhus invadit æſtatis tempore
» cum canis ſidus oritur. Statim igitur ægrum
» febres vehementes corripiunt, & acutus
» ardor & à gravitate imbecillitas crurumque
» ac manuum impotentia, venter perturbatur
» & quæ dejiciuntur gravè olent..... Hunc ità
» ſe habentem ità curato, primis diebus bal-
» neo & cibis abſtineat, ſorbitiones tenues
» & frigidas exhibeto, vinum autèm ſi ipſi
» conferat, nigrum, auſterum bibat ; quod
» ſi vehemens ſitis ex ardore urgeat, ubi
» confertim potum multum exhibueris vo-
» mere jubeto idque bis aut ter facito. At
» ſi horror corpus detinuerit refrigerantia
» remittito. »

Huic tentamini finem imponemus annotando maximè cum *Hippocratis* obſervationibus & regulis practicis conſerre *Sydenhamum*, ut videre eſt in lib. epid. anni 1667; cap. 2.

FINIS.